



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 61. Pontificis Bulla a Franciscanis recepta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI.
A.C. 1568.

utriusque Doctoris responsionibus publici juris factæ sunt sub hoc titulo: *Michaelis Baji Collatio cum Jodoco Ravestejn, & Cunero Petri, Lovaniensis Academiae Doctoribus Theologis, de Sacrificio Missæ.* Primæ hæc literæ erant scriptæ die Sabbathi post festum S. Catharinae, quod incidebat in vigesimam quintam Novembris diem; posteriores vero feria quinta post S. Andreæ festum die secunda Decembris datæ erant, atque ambæ habentur in collectione operum Baji, ubi Auctor ea, quæ in sua thesi ac disputatione protulerat, vindicare nititur. Ceterum hic idem Matthias Hovius, qui eandem thesin propugnabat, postea Mechliniæ Parochus ad Divum Petrum, necnon Archidiaconus, ac denique Mechliniensis Archiepiscopus creabatur, suoque ævo celeberrimis Verbi Divini Præconibus merito accensebatur.

§. LXI.

Pontificis Bulla a Franciscanis recepta.

Op. Baji
t. 2. p. 147.

Cum disputationes circa Baji doctrinam exortæ etiam inter ipsos Fratres Minores dissensionem suscitarent, Leodius, quamprimum in Provincialis officio Patri Panino Baji Doctoris amico fuerat subrogatus, mox ad Nivel-

lenfia

Sæcul. XVI
A. C. 1569.

lenfia comitia Guardianos, & cuiuslibet conventus Deputatos ex sua Provincia convocabat, eisque summi Pontificis decretum significans præcepit, ut septuaginta sex illos articulos per Bullam damnatos ejurarent. Huic mandato quantocius Religiosi tam suo, quam omnium suæ Provinciæ Fratrum nomine obtemperabant: verum Bajus se undique oppugnari, ac quamplurimos in se adversarios accersiri cernens, pro tuenda sua caussa calamum arripere, omnino necessarium duxit. Ergo doctrinæ suæ apologiam contra Papæ Bullam concinnat, eamque die octava Januarii Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo nono Romam transmittit, unacum literis ad summum Pontificem datis, quas Cardinali Simonettæ sibi in Synodo Tridentina probe cognito inscripsit. Erat epistola his concepta verbis.

§. LXII.

Baji epistola unacum apologia ad Papam transmissa.

Beatissime Pater!

„Jam annus est, quod nobis exhibitæ
„sunt literæ Beatitudinis vestræ
„plumbeo sigillo munitæ, datæ Romæ
„Calendas Octobris anni millesimi quingentesimi sexagesimi septimi, quibus
„dam-

*Bajan. t. r.
p. 198. 679.*

Hist. Eccles. Tom. XLVIII.

Z „dam-